906. 31 Dec. 1609.

# SIMON RUDNICZKY
## DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS WARMIENSIS:

Notum facimus omnibus et singulis, quorum interest, vel futuris temporibus interrit. Quod cum mensae nostrae rationes suaderent, vt Braunsbergae granarium, pro reponendis et asseruandis nostris frumentis haberemus, nullus vero locus in fundo arcensi, vel alibi reperiretur, vbi eiusmodi domus commode extrui posset; Rndi Patres Societatis Jesu in Collegio Braunsbergensi, ad postulationem nostram, aream quandam in Praedio suo suburbano, quod à Parocho Braunsbergensi, de consensu praedecessoris nostri per commutationem acquisiuerunt, ad ripam Passeriae existentem, nobis concesserunt, et vtendam fruendam permiserut. Quod officium nos hisce literis recognoscimus, et ne ingrati omnino videamur, ijsdem Patribus in compensam exhibiti nobis et mensae nostrae officij de eiusdem prouentibus, tres modios tritici, quotannis ex arce nostra Braunsbergen ab officialibus nostris praestandos promittimus. Harum quibus, propria manu subscripsimus, et sigillum nostrum est subappressum, tenore literarum. Datum in arce nostra Braunsbergen die XXXI. Decembris. Anno Domini M. D. C I X.

Simon Rudniczki
Eps Varmien manu ppa